

1743.9

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA,

2A

D E
CON- ET DISCONVE-
NIENTIA JVRIS ROMANI ET
STATVTARII ERFFVRTENSIS
IN MATERIA SUCCESSIONIS
CONJVGVM AB IN-
TESTATO,

50

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINIS
AC

AVTHORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,
SVB PRÆSIDIO
RECTORIS VNIVERSITATIS MAGNIFICI,
PRÆNOMIBILIS ET CONSULTISSIMI VIRI,

DN. CONR. WILH. STRECKER,
JCTI, EMINENTISSIMI AC CELSISIMI PRINCIPIS ELECT. MOGVNT. CONSIL.
REGIMINIS, JVRID. FACVLT. ET JVD. ELECT. PROVINC. ASSESS. SENIOR. COD.
PROF. PVBL. ORD. CIVIT. STND. ET CONSVLIS PRIMARII, NEC NON PRÆ.
LAVDATÆ FACVLT. JVRID. H. T. DECANI,

PRO GRADV DOCTORALI
EIDEM QVE ANNEXIS PRIVILEGIIS ET HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS,
PVBLICO ET MODESTO ERFDITORVM EXAMINI SUBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS
CASPARVS HENRICVS RVDOLPHI,
ERFFVRTHENSIS.

IN AUDITORIO JURIDICO COLLEGII MAJORIS,
D. XX. JVLII MDCCXLIII. HOR. CONSVENT.

ERFORDIÆ, Stanno HERINGIANO, Acad. Typogr.

se
ach
das
das
næ

Dissertatio in favorem Virginea
CON- ET DISCONE
MENITA VIRIS ROMANIS ET
STATUTARIIS FERTILITATIBUS
IN MATERIIS SACCESSORIS
CONTAGIA AB IN-
TESTATO
SAB AVSTICIS DIVINIS
HISTASTRIS LOGIKAM ORATIONIS
RECOLICIS UNIVERSALIS MAGNITUDINIS
DN. COR. A. H. STRICKER
PRO CREDAS DOCTORALI
DISSEMPLI AMBIVITATIBUS ET HONORIBUS
LITERIS ET MODIS VENDEOLOM ALIAS LITERAT
AUSTO ET RESESSIONIBUS
CISPARIUS HENRICAS RADOPHTI
IN AFRICIS TERRITORIIS HABENDO GODESON MALORE
ERITOS DICITISSIMO HERMINIO. ANNO 1400



Q. D. B. V.

TRACTATVS GENERALIS
IN QVO AGITVR
DE INSTITVTI RATIONE
TITVLVSQVE DISSERTATIONIS
ALIQVO MODO EXPLI-
CATVR.

§. I.

Variis libibus ansam præbere quæstionem
domini rerum satis superque notum est,
propterea eo solliciti esse debemus ut ali-
quo modo obex eis ponatur, quod com-
mode fieri potest, si modi acquirendi re-
cte investigentur; Hos vero vel naturales
vel civiles esse, iterumque dispisci in singulares & uni-
versales ex jure constat §. 11. Inst. de rer. divis. §. ult. Inst.
per quas person. cuique acquir. Inter quos & quidem

A 2

civiles

civiles universales refertur etiam hæreditatis delatae
 acquisitio seu hæreditas §. ult. Inst. per quas person.
 cuique acquir. circa quam dispiciendum quomodo de-
 feratur, & invenimus duplum modum in jure esse
 fundatum scil. 1) testamentum, 2) Legem, deficiente
 testamento, aut ab intestato, vid. §. iam cit. Inst. quibus
 accedit 3) paetum, qualis modus jure Romano qui-
 dem non plane incognitus, regulariter tamen prohibi-
 bitus per L. 19. & L. fin Cod. de paet. moribus vero &
 usu in Germania invaluit, vid. STRUV. Jurisprud. Rom.
 Germ. Forens. Lib. II. Tit. XXXIV. §. 1. BOEHMER. ad
 ff. Lib. II. Tit. XXIX. Tit. 1. §. 25. Prima vocatur te-
 stamentaria, secunda legitima s. ab intestato L. 3. §. 2.
 pro soc. L. 70. L. 77. pr. de A. V. O. H. quæ deficiente te-
 stamentaria immedie à lege defertur L. 39. 70. de A.
 V. O. H. quando testamentum est nullum aut non va-
 lidum L. 6. ff. L. 34. Cod. de inoffic. testam. princ. J. de he-
 red. quæ ab intest. vid. etiam LAVTERB. Comp. Digest. ad
 Lib. XXXVIII. Tit. 15. tertia paetitia vid. STRUV. &
 BOEHMER. loc. cit. In successione ab intestato certus
 ordo praescriptus est in Novell. 118. secundum quem hæ-
 reditas ab intestato defertur & ostenditur quænam per-
 sona sit praeferenda alteri, primario autem vocantur
 ad successionem liberi, parentes, & collaterales deinde
 etiam certo modo conjuges & sic porro cæteri; Quod
 attinet priores eorum jus succedendi nullis fere du-
 biis subjacet, posteriorum scil. conjugum vero mul-
 tis difficultatibus concomitatum esse videtur, præci-
 pue si nostrum jus statutarium Erfurthense & litis in
 his foris desuper exortas intueri velimus. Instituti
 autem

autem nostri jam non est de singulis modis acquirendi agere ideo naturales omittimus & ex civilibus tantum acquisitionem hæreditatis delatae aut hæreditatem consideramus. Non vero tam generaliter tractationem nostram instituimus, ut simul in omnes modos hæreditatis deferendæ inquirere velimus, sed eliminamus potius successionem conjugum ab intestato solum; Cum autem successionem aliter jus Romanum & rursus aliter nostrum jus statutarium determinet, in præsenti mihi proposui differentias juris Romani & Statutarii in materia successionis conjugum ab intestato enumerare & referre. Evidem me non latet, dissertationem inauguralem jamjam sub præsidio MEIERI de hac materia Ao. 1702, fuisse habitam propterea deliberavi & hæsitavi à meo proposito desisterem nec ne, cum vero contenta ejus inspicrem, ex iis certior factus quod materia hæc ante promulgata nova statuta sit tractata, & propterea horum statutorum nulla mentio fieri potuerit, sed tantummodo statuta antiqua pro fundamento posita fuerint, ideo dicta dissertatio propositum meum mutare non potuit, sed potius occasionem dedit, ut in hoc pergere destinaverim.

§. II.

Antequam vero nos ad specialia accingamus pro more solito in ætimologiam tituli paucis inquirere necesse erit. Et sic primo occurrit nobis vox con- & disconvenientiæ, quæ descendit à verbo convenire & ejus opposito per voculam: dis. Quid vero per con- & disconvenientiam indigitare velimus quilibet primo

A 3

intuitu

intuitu intelligit, nimirum nihil aliud, quam id in quo
differentia alicujus rei posita sit.

§. III.

Quod attinet vocabulum juris tam ejus origo
quam varii significatus notissimi sunt; In præsenti per
id cum adjecto voce: Romani complexum legum scri-
ptarum, prout in corpore juris continentur, denotare
volumus & quidem illas quæ Imperatores Romanos
præcipue Justinianum authorem agnoscant, & sic in
senso generali intelligimus, ut sub hoc nomine non so-
lum ius civile in specie sic dictum sed etiam jus præ-
torium comprehensum sit.

§. IV.

Porro vox: statutarium descendit à verbo statuo
& nihil aliud involvit, quam legem à superiore civita-
ti alicui præscriptam; Quia vero statuta à quolibet su-
periore suis civitatibus condi possunt, & vocabulum
statuti simpliciter positum non indigit cuinam civi-
tati præscripta sit lex s. statutum, differentiæ loco adje-
ctum est: Erfurthensis, ex quo elucet, statutarium
Erfurthense esse legem ab Eminentissimo Electore
Moguntino civitati territorioque ei annexo latam.

§. V.

Successionem triplicem dari supra monitum est,
inter quam eminet legitima s. quæ defertur ab inte-
stato. Origó vocabuli successionis ab intestato cuiilibet
cognita est & denotat modum quo hæreditas de-
fertur in casu, quando plane nullum testamentum ex-
stat aut extat quidem sed nullum, ruptum, irritum &
destitutum.

destitutum est princ. Inst. de bæred. ab intest. L. II. §. I. L.
39. L. 70. pr. L. 77. de acqu. vel omitt. bæred. L. 89. de Reg.
Jur. LAVTERBACH. ad ff. Lib. XXXVIII. Tit. 15. STRUV.
Jurispr. Rom. Germ. forens. Tit. XXI. L. II. §. I. HOPP.
exam. inst. L. III. Tit. I. §. I. MYL. nuchi. Inst. Lib. III. Tit. I.

§. VI.

Nostrī instituti ratio non permittit altius in etymologiam & origines vocabulorum inquirere, sed hoc merito aliis tractandum relinquimus, ne tamen titulum dissertationis nostræ sicco pede transire videamus haec pauca adjicere volumus ut L. B. ex iis aliquo modo perspicere possit, quonam intentio nostra tendat, & an rubrum cum nigro concordet, qualiaque contenta de labore nostro sibi promittere possit. Quia vero temporis penuria fortasse non permisit hanc materiam pro dignitate examinare & ubiorem tractationem requirere L. B. rogamus, hocce specimine interim contentum esse, idque benebole accipere, & ea pro sua modestia non poscere quæ solidiori tractationi reservavimus.

TRACTATVS SPECIALIS

IN QVO

DIFFERENTIAE SVCCESSTO-
NIS CONJVGVM AB INTESTATO
EXAMINANTVR.

§. I.

IN successionē ab intestato considerandus venit ordo succendentium; sic 1) ad successionē vocantur

tur descendentes L. 7. §. 1. unde Lib. L. 7. de bon.
damnator. sub quibus comprehenduntur liberi natura-
les, legitimi, naturales, & legitimi simul quorum ta-
men alter pro altero prærogativa quadam gaudet tam
in prælatione ipsa, quam quota hæreditatis. Hos ex-
cipiunt ascendentes, qui certo modo soli succedunt, in-
terdum etiam cum collateralibus concurrunt & ite-
rum includunt naturales, legitimos, naturales & legi-
timos simul. Tertium locum obtinent collaterales,
ubi distinguendum inter germanos, consanguineos,
uterinos, naturales & legitimos simul. Quarto de-
fertur successio ex ratione civili defientibus agnatis
& cognatis conjugibus tit. unde vir & uxor. Priors
tres ordines, de quibus Novell. 118. fusi agit, mitti-
mus & convertimus ad quartum nempe successionem
conjugum.

§. II.

Quod vero successio conjugum distincte se sistat,
necessè erit, sequentes casus secernere, ex quibus pa-
tebit, ubi locum habeat successio Jure Romano & in
quo punto conveniat cum jure statutario Erfurtensi
Casus 1) sit successio conjugum defientibus liberis
agnatis & cognatis. 2) Concurrentibus liberis agna-
tis & cognatis.

§. III.

In casu primo itaque inspiciendum jus Romanum
de materia successionis conjugum cuius sedes est in
Tit. ff. unde vir & uxor L. un. Cod. unde vir & uxor No-
vell. 53. cap. 6. Nov. 117. c. 5. & avthent. Præterea Cod.
unde

unde vir ex quibus textus primus & secundus præcipue hunc casum tangunt, in quibus statim occurrit successio conjugum deficientibus agnatis & cognatis in universa bona. Audiamus ipsa verba textuum

- a) Ut bonorum possessio peti possit unde vir & uxor justum esse matrimonium oportet; cæterum si injustum fuerit matrimonium nequaquam bonorum possessio peti potest. Porro §. I. ut autem hæc bonorum possessio locum habeat uxorem esse oportet mortis tempore.
- b) Maritus & uxor ab intestato invicem sibi in solidum pro antiquo jure succedunt quoties deficit omnis parentum liberorumve seu propinquorum legitima vel naturalis successio, fisco excluso.

Defertur autem in casu deficientium descendantium, ascendentium & collateralium conjugibus bonorum possessio, id est, succedunt hi per indirectum. Interim hoc adhuc monendum esse putamus, quod nunquam distinguemus an sit successio civilis aut prætoria seu bonorum possessio, quia in effectu non differunt & prætor bonorum possessorem haeredis loco in omni causa habet, haereditatisque appellatione bonorum possessio quoque contineatur vid. L. 117. ff. de Reg. jur. L. 138. ff. de verb. signific. Ut vero hæc successio seu bonorum possessio obtineat requiritur legitimum matrimonium & ejus duratio tempore mortis vid. L. un. huj. iii.

§. IV.

Postquam vidimus quid jus Romanum sanciat in
casu

B

casu deficientium agnatorum & cognatorum etiam consideranda est convenientia juris statutarii Erfurthen sis. Secundum statuta antiqua superstes conjux succedebat quidem non solum in mobilia sed etiam bona stante matrimonio acquisita in casu deficientium liberorum, concurrentibus vero his, electio competitat superstiti an mobilia cum onere solverdi aeris alieni, an vero portionem virilem optare velit vid. RENNEM. *Jurispr. Rom. Germ. Membr. II. disp. 28. Thes. 18 - 21.* MEIER *Diff. de different. Statutor. Erfurth. circa ius commune in casu success. Erfurth. 1702: habita.* Sed mittimus statuta antiqua postquam in totum abrogata sunt & consideramus jus statutarium novum scil. Anno 1704 promulgatum. Ut vero jus civile supponit conjugium legitimum ita etiam Legislator noster in §. fin. 15. Tit. IV. von Success-Fällen tale etiam requirit in verb.

Desgleichen zu observiren, daß alles was die successione conjugum statuaret worden, dahin zu verstehen sey, wenn ein paar mit einander per benedictionem sacerdotalem, sie mögen nun hierauf einander beygelegen seyn oder nicht, ehelich getrauet worden.

quamvis necesse non sit, ut copula carnalis accesserit. Si itaque hoc requisitum adeat succedit conjux conjugi in universa bona deficientibus, descendantibus, ascendantibus & collateralibus per verba §. 2. modo allegati 2n. IV.

Da nun kein dergleichen Pactum oder letzten Willens Verordnung obhanden, und ein Mann weder

weder Kinder noch Eltern auch kein Geschwister
oder andere Unverwandten, sondern allein sein
Ehereweib verläßt, so ist diese dessen Erbin in so-
lidum, welches denn auch bey dem Manne, falls
das Weib vor ihm ohne Nachlassung einiger Un-
verwandten stirbe, statt findet.
Ex his allegatis §§. hoc modo per se patet jus Ro-
manum in hoc casu convenire cum Statutario Erf-
furthensi.

§. V.

Ad secundum casum successionis conjugum, con-
currentibus liberis, agnatis & cognatis nunc vertimur.
Cum itaque fieri poslit ut concurrat conjux superstes
1) cum descendantibus, 2) ascendentibus 3) collatera-
libus, 4) ascendentibus & collateralibus simul, succe-
sio vero pro modo personarum concurrentium variet,
ideo hi casus ab invicem secernendi erunt, ex quibus
tota hec materia dilucide patebit.

§. VI.

Quod attinet itaque casum specialem primum,
quando concurrunt cum conjuge superstite descen-
dentes, distinguit jus civile an matrimonium sit indo-
tatum, defunctus dives & superstes inops Nov. 53. cap.
6. in fine avib. Praeterea Cod. unde vir & uxor & Na-
vell. 117. cap. 5. 2) liberi concurrant prioris vel po-
sterioris matrimonii, & sic casum hunc tali modo de-
cidit ut nempe si tres vel pauciores liberi communes
alteriusve matrimonii concurrant in quartam, si vero
plures sint in virilem portionem succedant conju-

ges superstites, hac tamen restrictione adjecta, ut extantibus liberis ejusdem matrimonii successio quoad usum fructum tantum obtineat, his vero deficientibus proprietas etiam competit; verba hujus legis vero sic sonant:

Præterea si matrimonium sit absque dote coniuncti autem defunctus laboret inopia succedat una cum liberis communibus alteriusve matrimonii in quartam si tres sint vel pauciores; quodsi plures sint in virilem portionem ut tamen ejusdem matrimonii liberis proprietatem servet, si extiterint, his vero non extantibus vel si nullos habuerit, potietur etiam dominio & imputabitur legatum in talem portionem.

Cum hac avthentica coincidit *Novella 117. cap. 5.* & illa ex hac est desumpta vid. STEPHAN. ad *Novell. 118. n. 74.* differt tamen à *Novella 53. cap. 6.* in eo, quod haec liberorum numerum non consideret & dominium non restringat.

§. VII.

Occasione hujus avthenticæ queritur an hæc successio tantum locum habeat in vidua an vero etiam in viduo? Doctores quidem dissentunt & inter hos RITTERSHVS. ad *Nov. c. 17. n. 9.* GVDELIN. de *jure noviss.* lib. 2. c. 16. §. si cum filiis, BARRY de *success.* lib. 18. Tit. 4. in fin. affirmativam defendant, nos vero negativam amplectimur & dicimus quod viduus æque succedat quia Imperator ipse hanc successionem ad matritum

ritum extendit. Consentit nobiscum STRYCK. de suc-
cess. ab intest. differt. IV. cap. 1. §. 41.

§. VIII.

Cumque porro ratio Legis in eo posita sit, ut
inopia conjugis per divitias salvetur alterius Nov. 53.
c. 6. in fine, & in jure non sit determinatum, quis pro
divite aut inope sit habendus, id merito arbitrio pru-
dentis judicis est relinquendum MENOCH. de arbitrar.
jud. quest. Lib. 2. cas. 65. n. 7. STRUV. in Syntagm. Exerc.
38. th. 38. RICHTER ad avtb. præterea Cod. unde vir §.
ux. n. 18. STRYCK. de success. ab intest. l.c. §. 17. §. 18.

§. IX.

De hoc casu vero jus nostrum statutarium plane
aliter disponit, nam hoc non supponit matrimonium
indotatum, defunctum divitem & superstitem inopem,
nec in numero liberorum differentiam quærit; Quia
vero matrimonium est vel foecundum vel infoecundum
hi casus iterum discernendi sunt & sic concurrit con-
jux vel cum liberis ejusdem matrimonii propriis vel
cum liberis prioris matrimonii tantum.

§. X.

Nunc autem decisio prioris casus in jure statuta-
rio per se clara est, quod conjux superstes concurrens
cum liberis ejusdem matrimonii succedat in portio-
nem virilem quoad proprietatem, quoad usumfru-
ctum vero in univeria bona defuncti usque ad tem-
pus mortis si in statu viduitatis perseveret & liberi
propriam oeconomiam non instituant, si vero liberi
separationem a patre vel matre superstite faciant & pa-

B 3

ter

ter vel mater nuptias secundas non ineat liberis dimidia pars portionis ab intestato competentis restituenda, altera portio dimidia è contra superstiti conjugi usufruenda relinquenda, donec moriatur aut secundas nuptias contrahat, quo facto etiam altera dimidia portio liberis restituenda erit. Verba juris nostri statutarii in hoc casu nulla interpretatione egent & sic sonant;

Begiebt sichs aber, daß die Kinder mit dem überlebenden Vater oder Mutter concurren, so soll die dem überbleibenden Ehe-Gatten aus der alten Observanz bisher competitte Option, Kraft welcher der oder dieselbige entweder die Mobilia mit Übernehmung derer Schulden oder ein Kindes-Theil erwählen und nehmen können, hinführo gänzlich aufgehoben seyn, und der überlebende Vater oder Mutter (sie seyen gleich reich oder arm) ohne Unterschied der Kinder-Anzahl mit der portione virili oder Kindes-Theil quoad proprietatem sich begnügen lassen §. 3. Tit. 4. von Succes-Fällen.

Et porro §. 4.

Auch soll sofort nach Ableben des Vaters oder Mutter bey obigen Fall, da Kinder vorhanden, des Verstorbenen Verlassenschaft, wo es von denen Kindern verlanget, oder sonst nöthig befunden und erachtet wird, durch 2. Deputirte von unsern Rath nebst dem Actuario obsigniret, gewisse Tutores denen hinterlassenen Kindern alslein

lein ad divisionem constituit, in deren Beyseyn
hinwieder die Resignation vorgenommen, und
hiernechst die ganze Massa hæreditaria unter den
nachgelassenen Che-Gatten und Kindern aufs
gleichste vertheilet, jedoch besagten Vater und
Mutter, sie schreiten gleich ad secunda vota
oder nicht der völliche usus fructus bis auf die Zeit,
da die Kinder sich verheurathen, und keine Ver-
pflegung mehr geniessen, oder sich von ihren Ti-
schen sonst separiren, gelassen werden.

Et tandem §. 5.

Worben jedoch dieser Unterschied gehalten, und
da der überbliebene Wittber oder Wittib in sta-
tu viduitatis ohnverrückt bleiben würde, der oder
dieselbe denen eigenen mit dem verstorbenen ge-
zeugten Kindern bey ihrer Separation und Ansel-
lung eigener Haushaltung nur die Helfste ihrer
angefallenen Erb Portion zu extradire schuldig
seyn; von der andern Helfste hingegen den usum
fructum ad dies vitae zu geniessen haben solle.
Da aber der überlebende Che-Gatte sich ander-
wärtig wieder verheurathete, hätte er bey Sepa-
ration der Kinder voriger Che ihre völliche Erb-
Portion ihnen zuzustellen.

§. XI.

Uti vero prior casus nulli dubio subjacet, ita è
contrario posterior in statutis nostris non est decisus,
propterea experientia docuit variis litibus eum ansam
præbuisse; Quidam enim affirmant conjugem super-
flitem

Item semper succedere in portionem virilem nulla attenta differentia an concurrant proprii liberi cum defuncto geniti an vero concurrant tantum liberi prioris matrimonii, quidam vero hoc simpliciter negant, conjugique superstite infra secundo successionem ex jure statutario denegant.

§. XII.

Antequam vero dicamus cuinam opinioni adstipulemur, ex nostro jure statutario notandum est, quod statuto tacente ad jus commune recurrentum. Eminentissimi enim Legislatoris mandatum expressum hac de re extat in verbis Tit. I. §. 1. Ord. Process.

So haben auch Stadtschultheiß und Assessores über die Churfürstl. Constitutiones, insonderheit über die Gerichts-Ordnung und Statuta zu halten, in denen übrigen andern Fällen aber, welche in obigen Verordnungen nicht exprimiret und decidiret sind, nach dem jure communi und zuförderst denen Reichs-Abschieden gemäß, zu sententiationire, und sich durch widrige præjudicia feinesweges, die künftige Casus betreffend, verleiten zu lassen.

Si itaque sententia negantium plane nullo alio fundamento niteretur, quam quod Eminentissimus Legislator casus in statutis non expressos secundum jus commune decidi velit, tamen huic subscribendum esse putaremus, propterea etiam in præsentiarum negantium castra sequimur & eam sententiam amplectimur, scil. conjugi superstite jure statutario portionem virilem non

non competere, si concurrat cum liberis prioris matrimonii tantum & matrimonium secundum improle fuerit, sed ejusmodi conjux cum portione jure civili destinata contentus esse debeat.

§. XIII.

Ne vero ex præjudicio authoritatis negantium opinionem sequi videamur, rationes quibus fundatur ponderandæ erunt. Sic primo nobis occurrit ratio, quod statuta stricte interpretanda & nullam extensio nem patiantur, sed potius ita declaranda ut minimum à jure communi discrepent. arg. L. 1. si is qui navem ff. de exerc. act. L. quod omnes 60. ff. de just. & jur. LV- DOLPH SCHRADER de feud. part. 10. Sect. 20. n. 169. MYNSING. Decad. 15. Resp. 1. n. 13. CARPZ. P. III. decis. 269. n. 15. & decis. 295. n. 15. Propterea à casu ad casum & persona ad personam extendi non possunt. GOEDD. Conf. 62. n. 162. P. 1. GAIL. L. 2. obs. 33.

§. XIV.

Ex his itaque sequitur, quod dispositio juris statutarii ad casus in Statutis omissos non sit extendenda, sed decisio eorum ex jure communi petenda & hoc conveniens est menti Legislatoris expresse declaratae. Applicetur itaque hoc ad casum nostrum, tunc apparabit, quanam sententia sit amplectenda, videlicet, ille in Statutis est omisssus ergo non decisus & sic ex jure communi supplendus.

§. XV.

Nigrum non ex rubro sed potius ex nigro rubrum declarandum esse constat, & rubrum nunquam habet vim

C

vim

vim legis vid. MASCARD. de prob. Vol. 3. Concl. 1291. n. 7.
 Lex enim debet esse clara & manifesta per L. 9. Cod.
 de Leg. Quamvis itaque rubrum tituli allegati juris
 statutarii per se satis obscurum simpliciter de conjugi-
 bus superstibus loquatur, tamen ejusmodi conjuges
 intelligendi, qui supponuntur in nigro scilicet pater &
 mater & sic nigrum declarare debet rubrum. vid. ME-
 NOCH. de Præf. L. 6. præf. i. per tot.

§. XVI.

Liberi naturales jam vivis parentibus vocantur
 quasi condomini rerum paternarum, & eorum in suc-
 cessione potissimum habetur ratio, omnesque reliquos
 à successione excludunt, propterea etiam eo allobo-
 randum, ut eis quam minimum à portione hæredita-
 ria auferat. Cum itaque, uti jam monuimus, liberi
 excludant omnes alios consanguinitatis vinculo jun-
 gatos, quo magis excludere debent affinitate tantum
 nexos; Quod quamvis non in totum accidat, tamen
 non debent deterioris conditionis effici per ejusmodi
 vitricum vel novercam concurrentem. Jam vero le-
 gislator in §. 13. juris statut. conjugi superstiti, deficien-
 tibus liberis, quartam partem hæreditatis quoad pro-
 prietatem tantum concedit, reliquas vero tres partes
 collateralibus & ascendentibus attribuit eique portio-
 nem virilem seu partes æquales denegat, quamvis non
 concurrant ejusmodi personæ privilegiatae scil. liberi
 legitimi, quomodo itaque analogiae juris conveniens
 erit liberis cum superstite conjuge concurrentibus
 deteriorem inferre conditionem superstitemque con-
 jugem

jugem (qui in præsenti vitricus & noverca est) ad portionem virilem admittere, qua non gavisus esset, si tantum cum ascendentibus & collateralibus concurrisset, sed potius cum quarta parte contentus esse debuisset.

§. XVII.

Porro vocabulo patris vel matris utitur Legislator in allegat. §. Per patrem vero nemo intelligitur quam naturalis. Rationis dispatitas etiam inter patrem naturalem & matrem vel vitricum & novercam per se patet, nam patri naturali ob negotium generationis major reverentia debetur, è contra vitricus & noverca pro personis odiosis habentur, jam vero à disparibus nulla conclusio obtinet.

§. XVIII.

Paulo altius vero inquirendum an casus præsens in statutis vere sit omissus; Et hoc sine dubio affirmandum, nam solus pater & mater in jure statutario §. citato vocantur ad successionem, è contra nulla fit mentio vitri & novercæ, hæ personæ autem respectu privignorum neque vocantur pater neque mater, gignere enim, procreare, parentes esse naturæ non juris verba sunt. *Tiraquell. L.8. gl. in verb. suscepit liberos n.15. Cod. de revoc. donat.* Quod vero sub voce patris aut matris non comprehendatur vitricus aut noverca ex eo patet, quod maxima differentia inter utrumque intercedat, & hoc vocabulum simpliciter positum semper patrem aut matrem naturalem tantum indigit. Sic etiam dispositio de parentibus non pertinet

C 2

ad

ad adoptivos, sed tantum naturales, & statutum de liberis comprehendit tantum naturales, & adoptivos excludit. ENENCK. *de privil.* n. 27. RVDING. *L. I. O. 25.* n. 3. propterea etiam, quæ in nostris statutis de patre & matre disposita sunt, neque ad novercam quæ in jure odiosa est per *L. 4. ff. de in offic testam. Vultej. Conf. fil. Marpurg. Vol. I. Conf. 29. n. 67.* & tantum abusive & ficte mater dicitur, neque ad vitricum s. fictum patrem extendi possunt.

§. XIX.

Hæc sententia in hoc etiam magis firmatur, quod interpretatio facienda secundum naturalem verborum proprietatem arg. *L. ult. de his qui ven. at. L. 7 ff. de supell. legat* jam vero propriæ vocabulum patris neminem nisi patrem denotat, & in lingua germanica vitricus & noverca non aliter intelliguntur quam per adpositionem nem vocis *Stief*. Præcipue vero hoc in jure singulari & exorbitanti obtinet, quod nunquam ultra genuinam verborum indolem extenditur *TABOR. in tr. de metat. c. 4. art. 3. thes. 9. CARPZOV. P. III. dec. 225. n. 15. PHILIPP. de subhaft. c. 4. Sec. 13. n. 67. § 68. MARTIN. comment. forens. ad tit. XXXIX. ord. jud. n. 57.*

§. XX.

Ex subsequentibus §. 3. & 4. etiam patet quod mens Legislatoris non fuerit, sterili conjugi superstite i. e. vitrico aut novercae virilem portionem concedere, quia in his disponit de usufructu competente parentibus naturalibus, quem vitricis & novercis per verba §. 10. Tit. cit.

Solte

Solte es sich begeben, daß ein Vater oder Mutter so ad secunda vota geschritten vor der Zeit stirbe, ehe die Kinder wie oben §. 4. erwähnet sich separaret, soll der Stief-Vater oder Stief-Mutter, gleich sofort ohne alles Nachsehen, ihr Vater oder Mutter Guth vorzu sowohl auf der Kinder als deren Vormünder Imploration als bey dessen Ermangelung ex officio geholffen werden solle, nach derer Kinder Lohß-Zettul extrahiren.

denegat. Cum itaque Legislator in utroque casu plane aliter sanciat, inque §. 3. vocabulo **Stief-Vater & Stief-Mutter** utatur non credendum quod in §. 3. per vocabulum patris & matris etiam **Stief-Vater oder Stief-Mutter** intelligere voluerit.

§. XXI.

Huic nostrae sententiae negativae magnum pondus etiam accedit ex §. 13. juris statutar. Tit. cit. in verb.

Er habe nun während der Ehe Kinder, so vorher gestorben, gezeuget oder nicht.

Nam ex his patet, quid moverit legislatorem, patri vel matri destinare concurrentibus liberis portionem virilem, scil. si liberi ex matrimonio nati vivi & superstites, alias enim legislator non opus habuisset hos causas fecernere superfittibusque conjugibus deficientibus liberis minorem portionem quam si liberi in vivis adhuc essent, assignare, & non præsumitur legislatorem magis gravare voluisse liberos concurrentibus vitricis

C 3

aut

aut novercis hosque majori portione hæreditaria beare, quam si nulli descendentes sed tantum ascendentes & collaterales concurrissent, cum semper major ratio liberorum quam conjugum in successione haberetur. Propterea etiam dicendum, legislatorem noluisse novercam aut vitricum æquiparare liberis & sanctiones Legislatorum ultra eorum propositum & intentionem interpretari non licere *L. non omnis in princ. ff. si cert. petat. L. obligationum substant. §. ult. ff. de obligat. L. nec ignorans Cod. de donat.* CARPZ. P. III. decis. 270. n. 28.

§. XXII.

Accedit tandem interpretatio usualis, scil. quod conjugibus, concurrentibus liberis prioris matrimonii tantum, portio virilis denegata fuerit. Jam vero observantia dicitur Legum interpres optima. *L. 37. ff. de Leg.* propterè etiam non mutanda sunt, quæ interpretationem certam receperunt *L. 23. ff. de Leg.* LAVTERB. Vol. 2. disp. 77. p. 2. ref. 1. n. 15. & interpretatio usualis refinenda, non obstante legis intellectu. KLEINSCHMIDT Tr. de princip. jur. scđ. 6. n. 41. MEY. P. I. decis. 144. n. 17.

§. XXIII.

Nec nos movet, nostram sententiam negativam deserere, præjudicium in causa Börnerin contra Graenichfeldin, quia per hoc lis non fuit sopia sed provocatione ad Illustr. Judicium Revisorium à viribus rei judicatae suspensum, nulla sententia desuper lata, sed transactio finita fuit. Unum aut alterum præjudicium

cium non statim jus facit, præcipue cum nulla confirmatoria secuta, alias deterioris conditionis litigantes essent, si per sententiam quam alter in pari causa passus & ex rædio litis per debita remedia restaurare non potuerit aut voluerit, eum ab ulteriori causæ discussione deterrere possit.

§. XXIV.

Ex hisce deductis itaque patet conjugem superflitem concurrentem cum liberis prioris matrimonii tantum, non gaudere portione virili sed contentum esse debere cum portione jure Romano definita.

§. XXV.

Jam nos convertimus ad casum 2. quando nimirum concurrunt cum conjugibus ascendentes. De hoc casu expresse quidem jus Romanum nihil sancit, quia vero quarta in *Novella 53. cap. 6.* simpliciter destinata & tantum in *Novell. 117. cap. 5.* concurrentibus ejusdem matrimonii liberis quoad proprietatem tantum limitata, putamus etiam quartam hanc cum proprietate concessam esse conjugibus, reliquas vero tres partes ascendentibus competere.

§. XXVI.

Me quidem non latet Doctores inter se dissentire in quaestione, an conjux superfltes concurrentibus ascendentibus & collateralibus indistincte quartam obtineat an vero numerus personarum concurrentium attendendus sit & sic conjux modo quartam modo virilem consequatur si nempe tres vel plures liberi adsint & potissimum

potissimum STRYCK. de success. ab intest. Diff. 4. c. 1. §. 41.
BRVNNEMANN. Comment. Cod. ad avth. Praterea. BER-
LICH. P. 3. concl. 26. n. 30. posteriorem sententiam de-
fendat. Nos vero priori subscribimus, quia in novell.
53. cap. 6. indistincte sine numero personarum concur-
rentium quarta destinata & novell. 117. cap. 5. quoad li-
beros & in horum favorem tantum limitatio addita,
propterea, cum in specie quoad ascendentes & collate-
rales nihil mutatum generalitati juris veteris standum
& sic cessante favore liberorum etiam dispositio juris
eos concernens cessare debeat. Consentit STRUV. Exerc.
38. thes. 38. RITTERSH. ad Nov. P. 7. cap. 17. n. 11.

S. XXVII.

In hoc casu jus statutarium convenit cum jure
Romano, nempe id concedit conjugibus superstitibus
si concurrunt cum ascendentibus aut collateralibus
quartam portionem quoad proprietatem; hac tamen
addita declaratione, quod conjux superstes, in casu non
reiterati matrimonii, præter quartam etiam usufru-
ctu totius hæreditatis non privari debeat usque ad
tempus mortis, si vero secundas nuptias inchoet usus
fructus finiatur. Hoc tamen tali modo intelligendum,
si ascendentes tempus mortis aut secundarum nuptia-
rum expectare vellent, nam si hoc eis non placet, ab
usufructu eximitur eorum legitima, quam conjux sta-
tim post mortem defuncti conjugis eis solvere debet.
Verba juris statutarii clara sunt & sic sonant:

Stirbt nun jemand, und verlässt nach sich einen
Ehe-Gatten ohne Kinder an einem, nebst einen
oder

oder mehr in aufsteigender Linie oder Seitwerts
Verwandten am andern Theil, so soll der überle-
bende Ehe Gatte (er habe nun während der Ehe
Kinder, so vorher gestorben, gezeuget oder nicht)
den usum fructum der ganzen heredität, wenn
er oder sie in dem Wittiben Stand verbleibt, ad
dies vitæ, widrigenfalls bis zur anderweiten Ver-
ehligung, quoad proprietatem aber in beyden Fäl-
len mehr nicht als den vierdtten Theil der ganzen
Verlassenschafft zu geniessen, und darüber zu di-
sponiren haben, das übrige aber denen Anver-
wandten verbleiben, gestalt denn hierbei gleich-
falls ein Inventarium und Theilung post mor-
tem defuncti vorgenommen, und da es von ge-
dachten Anverwandten begehret wird, von dem
Wittber oder Wittib wegen ihrer in Händen be-
haltender und uskruirender Erb Portion gnug-
same Caution bestellet werden soll.

Et porro §. 14. Tit. ssp. cit.

Da aber des Verstorbenen Vater oder Mutter
mit dessen überlebenden Ehe-Gatten concurre-
ren, und ihre Legitimam sogleich heraus verlan-
geten, soll der Wittber oder Wittib solche ohne
Anstand heraus zu geben, oder sich sonst mit ie-
nen zu vergleichen schuldig seyn.

§. XXVIII.

Tertius nunc in questionem venit casus, nimi-
rum quando concurrunt cum conjugibus collaterales
solum. Ut vero supra monuimus, quod conjugibus
concurrentibus cum ascendentibus quarta competit,
nullaque rationis disparitas occurrit, ita pari modo di-

D

cimus

cimus, hoc casu conjux superstes succedit in quartam cum proprietate & concurrentes collaterales in reliquas 3. partes.

§. XXIX.

Hunc casum nostrum etiam non aliter decidit jus statutarium loco jam allegato nempe conjux superstes accipit quartam, collaterales vero reliquias tres partes, salvo tamen usufructu conjugibus superstibus aut ad tempus mortis aut secundarum nuptiarum praeter quartam proprietatis debito.

§. XXX.

Ultimus casus est, si concurrent cum conjugibus ascendentibus & collaterales simul. Quia vero nulla differentia inter hunc & praecedentem casum intercedit, eodem modo decidendus erit, nempe quod conjux gaudeat quarta parte quoad proprietatem.

§. XXXI.

Pari modo se res habet secundum jus nostrum statutarium, nimirum quod conjugi superstiti competat quarta quoad proprietatem, reliquæ tres partes vero ascendentibus & collateralibus competant, hac tamen addita declaratione, ut concurrentibus ascendentibus eorum legitima sub tribus partibus usufruendis non comprehendatur, sed statim extradenda, concurrentibus vero collateralibus solum, tempus usufruendus praeter quartam proprietatis in tota haereditate concessi reliquarum trium partium duret vel usque ad mortem superstitis vel inchoatas nuptias secundas.

§. XXXII.

Consideratis casibus in quibus successio conjugum obtineat, restaret quidem causas referre per quas conjux

jux successionem indignus fiat. Quia vero jus statutarium de hisce causis nihil disponit, & ideo illæ ex jure communi desumendæ, merito supersedemus.

§. XXXIII.

Paucis adhuc ventilanda venit quæstio: annon succedant tantum conjuges & sic omnimodo consu-matio requiratur, an vero etiam sponsus & sponsa. Ut vero hæc quæstio decidi possit, necesse est, ut re quisita matrimonii intueamur, & hæc Jure Romano ceteris paribus nullæ aliæ sunt quam consensus. Si itaque hoc jus nihil aliud requirit quam consensus purum & perfectum, hicque consensus in sponsalibus de præsenti adsit, sequitur quod sponsus & sponsa pro conjugibus habendi & ideo eis successio non deneganda. vid. STRYCK. *de success ab int. diff 4. c. 1. §. 8. Et 43.* Jure statutario vero nostro ad matrimonium non sufficit nudus consensus sed requiritur expressè benedictio sacerdotalis, propterea sequitur, sponsum aut sponsam sub voce conjugis non contineri & ob hanc causam nullum commodum successionis sperare posse.

§. XXXIV.

Hæc sunt quæ de differentiis juris Romani & Statutarii Erfurthen sis in materia successionis conju-gum differere destinavimus. Temporis penuria prohibuit in hac materia omnes ambages, quamvis dignitas uberiorem discussionem postulasset. Lectorem bene-volum itaque rogamus ut conatus nostros æquanimi-ter suscipiat & aliquando, Deo dante, solidiorem tractationem à nobis expectet.


* * * * *

Niecho fässt der Spruch der alt-begrauten Zeiten:
Doch auch nicht Hercules mit zweyn könnte streiten.
Das Blüten wendet sich, da Du, Geehrter Freund!
Dich auf den Kampf-Wag stellst: Wer hätte dies gemeint?
Denn wenn Du disputirst, heißtt Du Herr Doctorande;
Und wechselt auch zugleich mit Deinem ledgen Stande
Der Ehe festes Band. Du zeigst zugleich daran,
Dass man auch vstermals zwyn Herren dienen kan.
Ich wünsche Glück dargu, des Himmels reicher Seegen
Begieße Deinen Stand, als wie ein feuchter Regen.
Das grün belaubte Feld: ja Deines Glückes Schein
Der müsse iederzeit im vollen Lichte seyn.
Hiermit wolte dem Hochzechtesten Herrn Neo-Doc-
tor, als seinem wertgeschätzten Herrn Schwar-
ger seine Ergebenheit glückwünschend bezeigen
Dessen ergebener Diener und Schwager

J. G. A. Fabricius, D.

Du zeigst, geehrter Freund, wie Ehegatten erben,
Wenn Kinder da, und wenn sie ohne Kinder sterben:
Dies Zeugniß zeugt zugleich von Deiner Fähigkeit,
Deswegen Themis Dir so Huth als Mantel beut.
Läß denn von ihrer Hand Dir Schaf und Schultern zieren,
Du wirst deswegen nicht des Schakos Kunst verlieren,
Ob Du gleich neben Ihy noch eine Liebste hast,
Weil diese nur das Haupt, und Sie das Herz faßt.
Ich wünsche tausend Glück, beglückter Freund, zu beyden:
Du Deinem Doctor-Huth, und Deinen Hochzeit-Freuden,
Der Himmel segne Dich mit Wohlfahrt und Gedephn,
Damit Dein Erbtheil noch mag lang verschoben seyn.
Dieses wenige wollte glückwünschend bezeigen

Heinrich Ernst Seehach,
Adu. Ren. Minist. Riss. Ordin.



ERFURT, Diss., 1742/44



UD78



1743.9
21
DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA,

DE
CON- ET DISCONVE-
NIENTIA JVRIS ROMANI ET
STATVTARII ERFFVRTENSIS
IN MATERIA SVCCESIONIS
CONJVGVM AB IN-
TESTATO,

QVAM
SVB AVSPICIS DIVINIS
AC
AVTHORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTI QVA HIERANA,
SVB PRÆSIDIO
RECTORIS VNIVERSITATIS MAGNIFICI,
PRÆNOBILIS ET CONSULTISSIMI VIRI,
DN. CONR. WILH. STRECKER,
JCTI, EMINENTISSIMI AC CELSISIMI PRINCIPIS ELECT. MOGVNT. CONSIL.
REGIMINIS, JVRID. FACVLT. ET JVD. ELECT. PROVINC. ASSESS. SENIOR. COD.
PROF. PVBL. ORD. CIVIT. SYND. ET CONSVLIS PRIMARIJ, NEC NON PRÆ.
LAVDATAE FACVLT. JVRID. H. T. DECANI,
PRO GRADV DOCTORALI
EIDEM QVE ANNEXIS PRIVILEGIIS ET HONORIBVS
RITE CAPESENDIS,
PVBLICO ET MODESTO ERFDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS
CASPARVS HENRICVS RVDOLPHI,
ERFFVRTHENSIS.
IN AUDITORIO JURIDICO COLLEGII MAJORIS,
D. XX. JVLII MDCCXLIII. HOR. CONSVENT.

ERFORDIAE, Stanno HERINGIANO, Acad. Typogr.